



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitulum XXXIII. Ad Aures.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

2. In quibusdam Religionibus consuetudo vel statutum viget, ut Prælatus infamis de graui crimine ad insinuationem generalis Capituli Prælaturâ cedere teneatur.
3. Hac supposita consuetudine vel ordinatione, si facta est insinuatio Abbati à Capitulo Generali, Abbas cedere tenetur, nec tenet eius appellatio.
4. Seposita autem hac consuetudine & statuto, de jure communi, Prælatus Religiosus propter solam criminis infamiam deponi non potest.
5. Ostenditur modus duplex in tali casu contra infamem Prælatum procedendi.

**NOT. I.** Infamia criminis interdum adeo notoria est, ut probatione nulla opus sit, interdum verò non ita notoria, tunc probari debet per testes, c. 3. §. Sape. verb. Fama. c. 4. q. 3. vbi Gl. ait: Si Index dubitet de fama, querat ex vicinis.

2. Not. 2. In quibusdam Religionibus consuetudo, vel statutum viget, ut Prælatus si infamiâ grauis criminis aspersus sit, ad commonitionem Capituli Generalis Prælaturâ cedere teneatur, sicuti de Prædicatorum & Carthusianorum Generali, quod ex hac causa ad renuntiandum cogi possint à generali Capitulo, ex Host. testatur hîc *Abb. n. 5.* & de Cisterciensium Ordine, quod Capitulum generale Abbates ad renuntiandum adigere queat, ita ut si renuant, duobus diebus post factam insinuationem, ipso facto potestate priuati sint, testatur *Rodriguez t. 1. Regular. q. 41. a. 3.* Supposita itaque tali ordinatione, aut consuetudine, concessit Alex. III. ut si monitio seu insinuatio Abbati à Capitulo Generali facta sit, cedere teneatur, ita ut appellatio eius ad Papam non recipiatur.

Sed seposita tali consuetudine, aut statuto adeoque spectato communi jure, rectè hîc docet *Abb. n. 13.* quod neque Prælatus Religionis deponi possit propter solam criminis infamiam, sed in hoc casu duplex procedendi modus sit. 1. Ut indicatur ipsi (si nullus adsit accusator) purgatio Canonica, ita ut si purgare se noluerit aut non potuerit pro conuictio habeatur. c. Accedens. 23. in fine, de accusationibus.

2. Ut nisi sponte renuntiare velit, subeat iudicarium processum, ita ut per testes & alias probationes legitimas conuincatur, c. Licet. 31. & c. sequente. de Simonia.

### CAPITULUM XXXIII. Ad Aures.

#### PARAPHRASIS.

Pontifex Iudici à se delegato commisit causam aliquam, remota appellatione, sed reus citatus intercedentes questiones proponens, & ab interlocutoriis appellans moram traxit in proseguenda appellatione, actore suspenso. Hoc casu, ait Alex. III. clausulam illam *remotâ appellatione* extendi non posse ad incidentes questiones, cum ea sæpe numero præiudicialia sint; verum in hoc casu si appellans terminum non præfixit, ipsemet delegatus terminum temporis competentem decernat, intra quem si appellationem prosecutus non fuerit eiusdem Iudicis iudicio submittere se cogitur.

**NOT. vnicum.** Clausula rescripti ad lites non extenditur ad incidentes questiones, quia rescripta ita intelligi debent, ut partibus præiudicium non afferant. Dicitur est de hoc in c. 4. in c. Peruenit. & in c. Consuluit. 14. in fin. h. t.

### CAPITULUM XXXIV. Ad Audientiam &c.

#### PARAPHRASIS.

Rektor Ecclesiæ S. Jacobi Zamorensis, ab Episcopo Zamorensi multis afficiebatur molestiis; ea propter denique se & Ecclesiam suam protectioni Apostolicæ Sedis commisit, sed quia ob simplicitatem verbum appellationis non expressit, Episcopus nihilominus contra eum, qui Romanæ Ecclesiæ patrocinium inuocauerat, excommunicationis sententiâ protulit, hoc audito Alex. III. respondit, quia dictus Rektor postquam se Romanæ Ecclesiæ protectioni subiecit, non præmissâ causæ cognitione, condemnari non poterat, ideò Episcopum Abulensem, si ita esse, sicut narratum est, constiterit, ex-

com-